

et turpe est, quod sit contra naturam. Ait enim Apostolus quasi interrogans: Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura vos docet, quod vir quidem si comam habeat, ignominia est illi, quoniam contra naturam est. Et iterum dicit: Mulier vero si capillos habeat, gloria est illi <sup>1)</sup>. Est enim secundum naturam, quoniam quidem capilli pro velamine sunt; hoc est enim naturale velamen. Personam igitur nobis et speciem natura ipsa dispensat, quam servare debemus: utinamque et innocentiam ejus custodire possimus, nec acceptam nostra malitia mutaret. Habes hoc decorum generalem, quia fecit Deus mundi istius pulchritudinem. Habes et per partes, quia cum ficeret Deus lucem, et diem noctemque distingueret, cum conderet coelum, cum terras et maria separaret, cum solem et lunam et stellas constitueret lucere super terram, probavit singula <sup>2)</sup>. Ergo decorum hoc, quod in singulis mundi partibus elucebat, in universitate resplenduit, sicut probat Sapientia, dicens: Ego eram cui applaudebit.... cum laetaretur orbe perfecto <sup>3)</sup>. Similiter ergo et in fabrica humani corporis grata est uniuscujusque membra portio. Sed plus in commune compositione membrorum apta delectat, quod ita sibi quadrare et convenire videantur.

#### QUARUM PASSIONUM RESTRICTIONE PULCHRUM ILLUD POSSIT ACQUIRI.

Si quis igitur aequabilitatem universae vitae, et singularum actionum modos servet, ordinem quoque et constantiam dictorum atque operum, moderationemque custodiat in ejus vita decorum illud excellit, et quasi in quodam speculo elucet. Accedat tamen suavis sermo, ut conciliet sibi affectum audientium, gratumque se vel familiaribus, vel civibus, vel, si fieri potest, omnibus praebeat: neque

1) 1 Cor. 11. 2) Gen. 1. 3) Prov. 8.